

APPENDIX.

DECRETA SEU RESCRIPTA NICOLAI PAPÆ I

EX GRATIANI VOLUMINE

Per JOANNEM COCHLÆUM in unum collecta et in viginti titulos distributa.

(Apud Mansi, Concil. general. tom. XV)

De constitutionibus Ecclesiæ, tit. I.

I. (Dist. 40, c. 4, *Episcopis in concil. apud Const. vi congreg.*) Impériali iudicio non possunt jura ecclesiastica dissolvi; nec possunt imperatorum leges evangelicis et apostolicis, atque canonicis decretis, quibus postponendæ sunt, inferre præjudicium.

II. (Dist. 42, *Ridiculum.*) Ridiculum est, et satis abominabile dedecus, ut traditiones quas antiquitus a patribus suscepimus, infringi patiamur.

De consuetudine, tit II.

I. (Dist. 8, c. 8, *Mala.*) Mala consuetudo non minus quam perniciose corruptela abjicienda et vitanda est.

II. (Dist. 22, *Mich. imp.*) Nihil absunt salutem credentium diversæ pro loco et tempore constitutiones vel consuetudines, si illis canonica non obsistat auctoritas.

III. (Dist. 21, *Denique.*) Illi qui ante nos fuerunt, providam in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt, hodieque in Romana Ecclesia, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, imprætermisere servatur, ita ut nullus sacerdos, majore suo non innuente consacerdote, cujuslibet rei benedictionem dare nitatur. Sed et anterior stans ad pronuntiandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere, quia in Epistola ad Hebræos legimus quod minor a majore benedicatur (*Hebr. III*).

De judiciis, tit. III.

I. (Dist. 12, c. *Inferior.*) Inferior sedes potiore absolvere, aut iudicio ligare non potest, nec propriis definitionibus subjugare.

II. (Ibid., c. *Nolite.*) Filios circa spiritualem patrem, ut discipulos erga magistrum, ita sobrios ac devotos esse decet, ut nulla penitus temeritate ad eorum vitam dijudicandam, nec saltem tenuiter reprehendendam, prosiliant.

III. (Ibid., c. *Nunc.*) Non potest quisquam rite ab his qui inferioris ordinis vel dignitatis sunt, judicialibus submitti definitionibus. Unde factum est ut in concilio episcoporum nullus in Marcellinum papam, qui tempore Diocletiani et Maximiani Augustorum idolis compulsus sacrificaverat, sed postea insignis

A martyr effectus est, sententiam proferre ausus fuerit, dum ei sæpissime omnes dicerent: Tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio. Et iterum: Noli audiri in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam, etc.

IV. (Ibid., c. seq.) Acephalum liquet esse concilium, ubi de tanta persona agitur, et majorum non expectatur sententia, cum et in causa clericum inferioris gradus solius episcopi sui iudicium tantummodo postulandum [*al.*, præstolandum] sit.

V. (Ibid., c. seq.) In tantum hanc præsumptionem sancti Patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cætera idcirco potissimum sine ulla restitutione damnarent, quod ponens in cælum os suum, lingua ejus transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Leonem papam dictavit.

VI. (2, q. 2, c. 2, *Carolo regi Francorum.*) Omnes leges, tam ecclesiasticæ quam vulgares et publicæ, præcipiunt ut omnia sibi ablata restituantur ei qui suis est rebus exspoliatus.

VII. (3, q. 5, c. 2, *Mich. imp.*) Quod suspecti et inimici iudices esse non debeant, et ipsa ratio dicitur, et plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius et amabilius dare quis inimico potest, quam si ei ad impetendum commiserit, quem lædere forte voluerit.

VIII. (3, q. 9, *Revera.*) Revera justus mediator non est, qui uno litigante, et altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat.

IX. (Ibid., c. *Indicans.*) Indicas Hermannum episcopum super quibusdam frequenter fuisse accusatum: pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad discrimen alterius credere procul dubio non possumus.

X. (Ibid., c. 6, *Si forte.*) Necesse est secundum sacrarum Scripturarum documentum, ac secundum justitiæ tramitem, et accusatum et accusatorem simul adesse, et unam partem, quantacunque et qualicunque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.

XI. (4, q. 1, c. 2, *Michael imp.*) Hæreticis non licet accusationes contra orthodoxos episcopos pro ecclesiasticis facere negotiis. Hæreticos autem dici-

mus tam eos qui olim ab Ecclesia projecti sunt, quam qui post hoc a nobis anathematizati sunt. Præter hos autem et eos qui fidem sanam negant vel simulant confiteri.

XII. (4, q. 4, c. fin.) Contra ritum ecclesiasticum contraque venerandas leges producit accusator vel testis de imperialibus ædibus, et cui imperari potest. ad falsum dicendum testimonium adhibetur; fiunt suspecti iudices; et lupi, custodes.

XIII. (6, q. 4, *Quod bene Carolo regi Francorum.*) Quod bene semel definitum est, et interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione, nisi fortassis ubi fuerit major auctoritas, retractari.

XIV. (24, q. 1, *Ait Mich. imp. August.*) Ait Cælestinus papa, Orientalibus episcopis scribens: Si quis ab episcopo Nestorio, vel ab aliis qui cum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus vel exutus est seu antistitis seu clerici dignitate, in nostra hunc communionem durasse et durare manifestum est. Nec iustificamus eum esse remotum, quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui jam se præbuerat ipse removendum.

XV. (33, q. 2, *Historia. Carolo regi Francorum.*) Historia ecclesiastica ab Eusebio Cæsareensi episcopo confecta, de muliere quadam qua de castitate a marito accusabatur, ait: Præceptum est ab imperatore, lege lata, ut primo permetteretur ei rem familiarem libere diutius ordinare, tunc demum responderet objectis. Hoc omnes leges tam ecclesiasticæ quam vulgares publicæque præcipiunt. Si autem de mulieribus et sæcularibus viris hæc constituta sunt, multo magis ecclesiasticis hominibus et sacerdotibus sunt concessa.

XVI. (Ibid., c. *Sive. Eidem.*) Sive de conjugii fœdere sive de adulterii crimine iudicium agendum sit, nulla ratio patitur Theutbergam cum Lothario posse inire certamen, nisi prius ad tempus fuerit reddita suæ potestati, et consanguineis propriis libere sociata. Itaque etiam locus providendus est, in quo nulla vis multitudinis formidetur, ne sit difficile testes producere vel cæteras personas, quæ tam a sanctis canonibus quam a venerandis Romanis legibus in hujusmodi controversiis requiruntur.

De Romana Ecclesia et sede apostolica, tit. IV.

I. (Dist. 22, c. 1, *Mediolanensibus.*) Omnes, sive patriarchæ cujuslibet apicem, sive metropolis primatus, aut episcopatum cathedras, vel ecclesiarum cujuscunque ordinis dignitatem instituit Romana Ecclesia. Illam vero solus ipse fundavit, et supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni simul et cælestis imperii jura commisit (*Matth. xvi.*)

II. (Dist. 79, c. 1, *Si quis pecunia.*) Si quis pecunia vel gratia humana, aut populari seu militari tumultu, apostolicæ sedi sine concordia et canonica electione cardinalium ejus Ecclesiæ ac deinde sequentium clericorum religiosorum inthronizatur,

A non papa vel apostolicus, sed apostaticus habeatur. Liceatque cardinalibus et aliis clericis Deum timentibus, et laicis, invasorem illum anathematizare, et humano auxilio à sede apostolica pellere.

III. (Dist. 97, c. *Ludov. imp.*) Licet nunquam apostolicæ sedis modus fuerit absque signatis apicibus undecunque legationem suscipere, nos tamen sublimitatem vestram in nobilissimo viro ac strenuo legato vestro honorantes, ejusque gravitatem et eloquiorum illius veridicas cognoscentes assertiones, nihilo minus eum absque epistola vestra suscepimus.

IV. (1, q. 1 et 9, q. 3, c. *Per principalem. Mich. imp.*) Per principalem beatorum apostolorum Petri et Pauli dextram, et potestatem et jus habemus, non solum in monachos, verum etiam in quoslibet clericos de quacunque diocesi, cum necesse fuerit, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus, invitare.

V. (2, q. 6, *Arguta Rhemensi archiepiscopo.*) Arguta sapientia tua materiam depositionis adversus Rothadum assumpsit, et ab itinere apostolicæ sedis removit, et continuatim apostolicam sedem appellentem damnavit, et carcerali custodiæ mancipavit. Privilegia tamen apostolicæ sedis vos oblivioni tradere nullo modo debuissetis, quibus venerandi canones iudicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri jubent.

VI. (6, q. 3, *Patet. Mich. imp.*) Patet profecto sedis apostolicæ, cujus auctoritate majus non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat iudicare iudicio. Nec de ejus iudicio canones unquam præceperunt iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandaverunt.

VII. (45, q. 6, c. 2, *Episcopis Galliarum.*) Auctoritatem venerabilium prædecessorum nostrorum secuti, et nominatim beatissimi papæ et martyris Alexandri quinti, a beato Petro, ab omnibus juramentis et cujuscunque obligationibus, quibus illi sese, coacti violentia impiorum, obligaverunt, absolvimus, et ne illa serventur vetuimus, tam archiepiscopum Trevirensem quam ejus præpositum, et omnes qui tunc temporis capti se illis quoquomodo obligaverunt. Neque ullam eos proinde infamiam vel calumniam, aut a suis bonis sequestrationem unquam, auctore Deo et sanctis apostolis et nostris prædecessoribus, sustinere permittimus, sicut per prophetam Dominus dicit: *Dissolve colligationes impietatis, etc.* (*Isa. LVIII.*)

VII, (17, q. 4, *Nemini. Omnibus episc.*) Nemini est de sedis apostolicæ iudicio iudicare, aut illius sententiam retractare permissum, videlicet propter Romanæ Ecclesiæ primatum, Christi munere in beato Petro apostolo divinitus collatum.

IX. (55, q. 2, *Si quis. Universali synodo præsidens.*) Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide vel ecclesiastica disci-

plina pro correctione imminentium vel futurorum a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

X. (35, q. 9, *Sententiam. Michaeli imp.*) Sententiam Romanæ sedis non negamus posse in melius commutari, cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum vel temporum seu gravium necessitatum, dispensatione quædam ordinare decreverit; quoniam et egregium Paulum apostolum dispensatorie legimus quædam fecisse, quæ postea reprobasse legitur. Quod tamen observandum est, quando illa Romana videlicet Ecclesia discretissima consideratione fieri delegerit; non quando ipsa quæ bene sunt diffinita retractare voluerit.

XI. (*De consec. dist. 1, Ecclesia. Clero et plebi Viennensis Ecclesiæ.*) Ecclesia, id est catholicorum collectio, quomodo sine apostolicæ sedis instituentis nutu, quando juxta sacra decreta, nec ipsa debet absque præceptione papæ basilica noviter construi, quæ ipsam catholicorum intra semet amplecti ceteram dignoscitur.

De decretis Romanorum, pontificum, tit. V.

I. (Dist. 11, c. 2, *Mich. imp.*) Quo a sedis apostolicæ rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis occasione removeatur.

II. (Dist. 19, c. 1, *Archiepiscopis et episcopis per Galliam constitutis.*) Si Romanorum pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod vere sedes apostolica probavit, hodie teneatur acceptum; et quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quanto potius ea quæ ipsa pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis et multifariis Ecclesiæ necessitatibus et fidelium moribus [at. motibus] diverso tempore scripsit, omni honore debent præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet necessitatibus vel opportunitatibus, discretionem vel dispensationem magistræ, reverenter assumi, etc.

III. (Dist. 20, c. fin., *Clero Constantinopolitano.*) Si decreta Romanorum pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis redarguendi; si vero habetis et non observatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi.

De imperatoribus, tit. VI.

I. (Dist. 10, c. 1, *Mich. imp.*) Imperator suis reipublicæ quotidianis administrationibus debet esse contentus, non usurpare quæ sacerdotibus Domini solum conveniunt.

II. (Dist. 96, c. *Ubinam. Eidem.*) Ubi legistis imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam ubi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos et ad omnes omnino pertinet Christianos?

III. (Ibid. c. seq. *Denique Eidem.*) Denique hi quibus tantum humanis rebus, non divinis præesse permissum est, quomodo de his per quos divina

ministrantur, judicare præsumant, penitus ignoramus.

IV. (Ibid., c. *Cum ad verum. Eidem.*) Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, idem rex et pontifex, actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur; quatenus spiritualis actio a carnalibus distaret incursibus, et Deo militans minime se negotiis sæcularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur qui esset sæcularibus negotiis implicatus.

V. (Ibid., c. seq. *Satis Eidem.*) Satis evidenter ostenditur a sæculari potestate nec solvi prorsus nec ligari pontificem, quem constat a pio principe Constantino Deum appellatum, cum nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum est.

VI. (1, q. 1, *Non quales. Eidem.*) Non quales sacerdotes Domini sint, sed quid de Domino loquantur, est vobis magnopere prævidendum. Nec in vicariis beati Petri apostoli vobis est attendendum quid sint, sed quid pro correctione Ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Nec enim illos dicetis inferiores Scribis et Pharisæis sedentibus super cathedram Mosis, de quibus Dominus præcepit, dicens: *Quæcunque dixerint vobis, facite*, etc. (*Matth. xxiii.*)

De regibus, tit. VII.

I. (Dist. 63, *Porro Lothario regi.*) Relatum est nobis quod quicumque ad episcopatum in regno tuo provehendus est, non nisi faventem tibi permittas eligi. Idcirco apostolica auctoritate, sub divini iudicii obtestatione, injungimus tibi ut in Trevirensi urbe et Agrippina Colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc nostro apostolatu fiat.

II. (2, q. 1, *Quæ Lotharius, Carolo regi Francorum.*) Quæ Lotharius rex nepos vester fecit, accusatione non indigent. *Manifesta enim sunt, teste Apostolo opera carnis, fornicatio, immunditia, etc.* (*Galat. i.*) In manifestis enim calliditate accusantium non opprimitur reus, nec tergiversatione proprium crimen celatur, cum culpa sub oculis omnium sponte se ingerat; atque ideo in talibus judiciarius ordo non requiritur.

III. (Ibid., c. fin. *Episcopis per Galliam, Italiam et Germaniam constitutis.*) Scelus quod Lotharius rex, si tamen rex veraciter dici possit qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica enervatione magis illicitis ejus motibus cedit, in duabus scilicet feminis Theutberga et Waldrada commisit, omnibus manifestum est; sed dudum episcopos Theutgaudum et Guntharium in tali facto eum habuisse tutores atque fautores, pene totus orbis undique ad limina seu sedem confluens apostolicam referebat. Igitur decernente nobiscum sancta synodo, in præsentia depositi, et ab

officio sacerdotali excommunicati, atque a regimine A episcopatus alienati indubitanter existunt.

IV. (11, q. 3, *Præcipue Lothario regi.*) Præcipue Waldrade pellicis tuæ, et dudum a te repudiata, communionem declina. Excommunicata est enim, et usque ad præsentiam nostram ab omni contubernio Christianorum sequestrata. Excommunicata est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ, ac pro unius mulierculæ passione vinctus et obligatus, ad perenne trahatis exitium.

V. (Ibid., c. *Ita corporis. Eidem.*) Ita corporis tui motibus cedere consensisti, et relaxatis voluptatum nabis, temetipsum in lacum miseriæ et in lutum fæcis prohibitum dejecisti, ut qui positus fueras in gubernatione populorum, effectus sis ruina multorum. Probat hoc Theutgaudii et Guntharii dudum episcoporum legitimus casus, qui pro eo quod te minime competenter erudierint, quin imo, quia prævaricationem tuam argumentis suis tegere, et sub quadam justitiæ specie, fucatis quibusdam exquisitis ad inventionibus, æquitatem obruere studuerunt, nostra sunt apostolica depositi auctoritate, et ab omni episcopatus regimine regulariter sequestrati.

VI. (Ibid. *Excellentissimus. Hincmaro Rhemorum archiepiscopo.*) Excellentissimus rex Carolus apostolatam nostrum consuluit, quid agendum sit de his qui cum Ingeltrude sæpe damnata communicant femina, quoniam eam cum communicatoribus suis et fautoribus pari vinculo anathematis constat esse ascriptam. Quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus, ut super hoc nostra auctoritate fretus, curam de his sumere studeas. Et quia docta divinitus sanctitas tua valde novit aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod de studio delinquitur; istudque posterius duobus prioribus districtius esse puniendum: idcirco solerter invigilet, et cauta distinctione singulorum modos dijudicet, quatenus qui ex necessitate aut ignorantia delinquant, auctoritate nostra per te absolvantur. Illos autem qui studio suo obligantur, et contemptu interdicta nostra postponunt, non nisi digna satisfactione præveniente, volumus a te prorsus absolvi.

VII. (24, q. 3, *An non. Lothario regi.*) An non districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech et flagitium imitatus esse dignosceris? quod Dominus non nisi post septuaginta septem generationes suo salutifero adventu delevit, cum Cain fraticidium septima generatione aquis abolitum sit cataclysmi, id est diluvii (*Gen. vi*).

De patriarchis et archiepiscopis, tit. VIII.

I. (Dist. 63, *Episcopos. Jounnni Ravennati archiepisc.*) Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem vel consensum cleri et populi.

II. 3, q. 6, *Hæc quippe. Salomoni regi Britonnum.* Hæc ordinatio Dei Patris tui, et hæc est lex Ecclesiæ matris tuæ, videlicet ut omnes episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mittere non detrectes, ipsiusque iudicium postulare non dedigneris. Ipse est enim metropolitanus, et omnes episcopi

regni tui suffraganei ejus sunt, sicut conscriptiones prædecessorum meorum evidenter ostendunt. Neque enim Ecclesias Dei per discordias regum divisionis aliqua damna pati necesse est, cum, quantum ex se est, pacem quam prædicant, servare studeant in invicem et omnes.

III. (9, q. 3, *Conquestus Bituricensi archiepiscopo.*) Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigebodus, archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos, eo invito, ad iudicium tuum venire compellas, et de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure patriarchatus tui disponas: cum hoc neque antiquitas (cui sancti Patres sanxerunt reverentiam) habeat, et auctoritas sanctorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint per appellationes, vel si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ iudicio tuo dispensare voluerint. Primates enim vel patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus.

IV. (11, q. 3, *Theutgaudum. Omnibus episcopis Gallicæ et Germaniæ.*) Theutgaudum Trevirensis primatem Belgicæ provinciæ, et Guntharium Agrippinæ Colonie archiepiscopos, nunc coram nobis et sancta synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharii regis et duarum mulierum ejus, Theutbergæ scilicet et Waldradæ, recognoverint et iudicaverint, scriptum super hoc propriis manibus roboratum offerentes, et sententiam quam a sede apostolica in Ingeltrudem uxorem Bosonis, sanctissimus frater noster archiepiscopus Mediolanensis Thado et cæteri coepiscopi nostri petiverunt emittendam, et nos divino succensi zelo, sub anathematis attestatione canonice protuleramus, publice se viva voce violasse confitentes; in quibus omnibus invenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, et æquitatis normam nequiter temerasse, ab omni iudicamus sacerdotii officio manere penitus alienos. Et ideo sancti Spiritus iudicio, et beati Petri per nos auctoritate, episcopatus exutos regimine consistere diffinimus.

De sacris ordinibus, tit. IX.

I. (Dist. 23, *Præterea. Rodulfo Bituricensi archiepiscopo.*) Quæ in consecrationibus et ordinibus observanda sint, beati Innocentii papæ canonica decreta, præsertim principia pagine ad Decentium Eugubinum episcopum emissæ, affatim edocebunt.

II. (1, quæst. 1, *Statuimus, c. 2.*) Simoniaci simoniace ordinati vel ordinatores, secundum ecclesiasticos canones, a proprio gradu decident. Simoniaci quoque simoniace a non simoniacis ordinati, similiter ab officio male accepto removeantur. Simoniacos autem non simoniace a simoniacis ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere.

De episcopis, tit. X.

I. (Dist. 34, c. 1. *Alvino archiepisc. Januensi.*) Episcopi ab omni bestiarum vel volucrum venatione penitus alieni existere, et ab immoderata filiarum suarum familiaritate, unde male oriatur fama, abstinere debent. Nullum enim sanctum, ut ait beatus Hieronymus, venatorem legimus.

II. (D. 43, c. fi. *Mich. imp.*) Episcopis dispensatio cœlestis seminis injuncta est. Væ si non sparserint, væ si tacuerint, sicut vas electionis formidat et clamat. (*I Cor. ix.*)

III. (6, quæst. 3, *Denique.*) Si quælibet ambiguitas vel aliqua fortasse super Suffredi examinatione vel episcopatus abrenuntiatione oborta fuisset contentio, ex more ad sedem apostolicam referri convenerat, et nostra his omnibus debuerunt cuncti decreta penitus exspectare. Quod quia omisum est hactenus, dolemus. Dilectissimi, igitur gloriam vestram vehementer efflagito, ut jam dictus Suffredus episcopus proprio restituatur episcopio; et hic, si aliquid reprehensione dignum gessit, postea vel correctione vel digna animadversione diffiniatur.

IV. (7, q. 1, *Pontifices. Alvino Januensi.*) Pontifices qui aliqua occupantur infirmitate vel ægritudine, abjiciendi non sunt: nec alii in loco eorum consecrandi sunt, nisi ex hac fuerint luce subtracti. Quod si de ministerio sibi concesso conqueruntur, quæ licita sacerdotes expleant. In his vero quæ his præsumere non licet, vicinorum usque ad recipiendam sanitatem episcoporum auxilia subrogentur.

V. (*Ibid.*, c. *eodem. Eidem.*) Episcopos vero qui Dominici gregis suscipiunt curam atque sollicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamen eorum salubriter augeatur et triplicetur fructus.

VI. (*Ibid.*, *Sciscitaris. Hunfrido Morinensis Ecclesiæ episcopo.*) Sciscitatis utrum cum a Nortmannis de episcopio depellaris, debeas de cætero in monasterio conversari. In quo scias, charissime frater, quod si perniciosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus? Ubi non dicimus quod persecutorum non fugiamus, maximeque paganorum, insidias; cum ad tempus sæviunt, et ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem divinitus assequuntur, præsertim cum eis prodire ultro non debeamus, et multos prophetas et apostolos, ipsum quoque Dominum hujusmodi fugisse insecutores, luce clarius constet: sed quod præcipue nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, imo qui et horum pastores sumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat. Et cum tranquillitas reddita divina fuerit pietate, sopitaque furentium infestatio, mox gregem perquirere, et in unum colligere, et ejus animos cœlestis patriæ pace potissimum securitate prædicata sursum erigere debemus.

VII. (23, quæst. 8, *Reprehensibile. Carolo regi-Francorum.*) Reprehensibile valde constat esse quod

A subintulisti, dicendo, majorem partem omnium episcoporum die noctuque cum omnibus aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare, et ob id episcopi impediuntur venire; cum militum Christi sit, Christo servire; milites vero sæculi serviant sæculo, secundum quod scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*I Tim. ii*). Quod si sæculi milites militiæ student, quid ad episcopos et milites Christi pertinet, nisi ut vacent orationibus.

VIII. (*De cons. D. 4. Porro. Rodulfo, Bituricensi archiepisc.*) Porro *Gloria in excelsis Deo* ab episcopis in Cœna Domini intra missarum solemniam more nostro dicenda est. Pallio vero apostolico eadem die uti est illis licitum, quibus est ab apostolica sede permissum.

De presbyteris, tit. XI.

I. Dist. 32, *Nullus. Omnibus episcopis.*) Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere aut subintroductam mulierem.

II. (Dist. 58, *Sacerdotes. Carolo archiepiscopo Moguntino et ejus suffrag.*) Sacerdotes si in fornicationis ceciderint laqueum, et criminis manifestus sive ostensus sit actus, sacerdotii honorem habere non possunt, secundum canonicæ institutionis auctoritatem.

III. (*Ibid.*, c. *Studeat. Osvaldo coepiscopo Quadrantino.*) Si presbyter aliquem percusserit, non ad mortem, pro percussione pœnitentiam agat, et aliquanto tempore a missarum solemnibus suspendatur. Si vero qualicumque percussione ejus aliquis mortuus fuerit, nulla ratione ministrare sacerdotis more debet; quoniam etsi voluntatem occidendi non habuerit, furor tamen et indignatio in omnibus, et præcipue in Dei ministris, multipliciter inhibetur atque damnatur.

IV. (2, quæst. 4, *Notum sit. Herardo Turonensi archiepisc.*) Presbyter iste dicit se falsis criminibus impelitus, et ab ecclesia sua, non convictum neque confessum, irrationabiliter fuisse ejectum. Nam tua diligentia per tres vices inquisitione facta, nulla in se neque de fornicationis crimine, neque de homicidii confessione, de quibus impetebatur, reperiri potuit culpa. Idcirco magnopere monemus reverentiam tuam, ut quæ, te forte ignorante, Gieziaca cupiditate peracta esse videntur, tuæ fraternitatis censura celeri emendatione corrigantur, scilicet restituendo ecclesiæ propriæ jam dictum sacerdotem, atque ei reddendo tua pietate pristinum quem perdidit honorem.

V. (15, quæst. 8, c. fin. *Ad consulta Bulgarorum.*) Sciscitantibus vobis si a sacerdote qui fuerit comprehensus in adulterio, sive de hoc sola fama respersus est, debeatis communionem recipere necne, respondemus: Non potest aliquis quantumcunque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Qualiscunque enim sacerdos sit, quæ sancta sunt coin-

quinari non possunt. Idecirco ab eo, quotcunque iudicio episcoporum reprobetur, communio percipienda est, quoniam mali bona administrando se tantummodo lædunt. Fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat: et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepidi Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur (fides est enim, quæ hunc mundum vincit), et quia non dantis meritum, sed accipientis fit, dicente beato Hieronymo: Ad credendum omnium animæ baptismus est perfectus, et in omni sacerdote corpus Christi est perfectum.

VI. (17, quæst. 4, *De presbyterorum. Thadoni archiepisc. Mediolanensi.*) De presbyterorum flagellatoribus et occisoribus, prædonibus scilicet, qui sæculari brachio minime coercentur, juxta præceptum Domini placet, ut fraterno amore conveniantur secundo et tertio: qui requisiti si te non audierint, conveniente Ecclesia, eos sacra communione privare, atque si in sua obstinatione permanentes sacerdotalia monita forte contempserint, ab Ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus.

De clericis tit. XII.

I. (Distinct. 12, *De illo. Adoni Viennensi archiepiscopo.*) Clericus, qui per ordines ecclesiasticos usque ad subdiaconatum caste vixit, uxorem ducere non potest. Nullis enim datur licentia, exceptis illis quibus ecclesiastica regula uxorem habere permittit.

II. (Dist. 50, *Clericum. Osvaldo coepiscopo Quadrantino.*) Clericum qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere etiam debet acquisito, homicida enim est. Nam discreti sunt milites sæculi a militibus Ecclesiæ, quibus militare sæculo non convenit.

III. (Ibidem, c. *Hi qui arborem.*) Hi qui arborem incidere videntur, si contigerit ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt atque innoxii, quia nec voluntate eorum nec desiderio homicidium perpetratum est. Si vero aliqua culpa eorum vel neglectu morientis hominis interitus cognoscitur advenisse, abjiciendi sunt a gradu, et in sacro ordine nullatenus suscipiendi.

De votis monasticis, tit. XIII.

I. (Dist. 27, *Quod interrogasti. Adoni Viennensi archiepisc.*) Femina quæ post obitum mariti sui sacrum velamen super caput suum imposuit, et finxit se sub eodem velamine monialem esse, postea vero ad nuptias rediit, debet pœnitentiam agere de illusionem nefanda, et reverti ad id quod spondit.

II. (10, quæst. 3, *Præsens. Omnibus episcopis in regno Ludovici.*) Præsens clericus, nomine Lambertus, una cum patre suo nomine Atto, quondam videlicet comite, nunc autem clerico, ad limina apostolorum properans, adiit præsentiam nostram, asserens qualiter idem pater ejus in laici adhuc ordine, in præ-

diis propriis ædificasset duo monasteria, voluntatem gerens ut post suum decessum præsens ejus filius Lambertus in locum ejus succederet, quem infra teneram ætatem inter octavum et decimum annum constitutum, memoratus pater proprio arbitrio, absque regulari institutione, extra omnem illius voluntatem cucullam induit. Igitur post quoddam ipsius temporis spatium, ut ipse dicit, Salomon episcopus, cum quibusdam aliis, absque patris oblatione vel abbatis percepta benedictione, eundem Lambertum monasticum habitum induere fecit, ut ferunt, invitum. Et sub hac occasione paterna seu materna hæreditate a fratribus suis privatam esse, atque contra omnem, ut dictum est voluntatem suam quasi regularem illum monachum permanere volunt. Et infra: Quapropter consulte Psalmographi verba recolentes, quibus voluntarie se Deo sacrificare pronuntiat, et voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat (*Psal. cxxiii*), præsentem clericum nomine Lambertum minime debere existimavimus sub tali violentia fieri monachum. Quod enim quis non eligit nec optat, profecto non diligit: quod autem non diligit, facile contemnit. Nullum ergo bonum, nisi voluntarium. Idecirco Dominus non ferendam in via virgam (*Matth. x*), per quam violentia ulli inferatur, præcepit, etc.

III. (27, quæst. 1, *Vidua. Carolo archiepiscopo Moguntino et ejus suffrag.*) Vidua quidem, quæ capiti sacrum velamen imposuit, si inter cæteras velatas feminas in ecclesia oraverit, et oblationes cum illis obtulerit, si professa est se in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis velamen deponere, a religionis observantia discedere non præsumat.

De laicis, tit. XIV.

I. (Dist. 18, c. fin. *Ad consulta Bulgarorum.*) De presbyteris, vobis qui laicis estis, nec judicandum est, nec de vita eorum quidquam investigandum, sed episcoporum iudicio, quidquid id sit, est reservandum.

II. (Dist. 96, *In scripturis, Ludovico II imp.*) In scripturis narratur Constantinus imperator dixisse: Vere si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum qui in monachi habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamydem meam exspoliarem et coeperirem eum, ne ab aliquibus videretur. Hoc dicimus, cautos vos reddere cupientes, ut si de Domini sacerdotibus, qui jure patres animarum dicuntur, aliquid contigerit vos audire quod confusionem piis mentibus ingerat, non infrunitum, sed pudoratos filios Noe imitantes, patriam de reliquo verecundiam contegatis (*Gen. ix*), ut affluentem, quemadmodum et illi, benedictione repleti, moderante Domino, mereamini.

De ecclesiis tit. XV.

(22, quæst. 1, c. *Nulla. Ex ejus decretis.*) I. Nulla ædificia in atrio ecclesiæ ponantur, nisi tantum clericorum.

II. (11, quæst. 2, *De rebus. Adoni Viennensi archiepisc.*) De rebus quæ semel Deo contributæ atque dicatæ sunt, et postea sub occasione concessionis principum a quibusdam invaduntur atque diripiuntur, sancimus ut prius consulatis principem ad rescandam tam præsumptivam factionem, et cognoscendum utrum sit illius concessio, an invasoris præsumptio. Quod si principis inordinata fuerit largitio, et ipse princeps sit pro emendatione redarguendus; si autem invasoris declaratur præsumptio, usque ad emendationem, excommunicationis sit vindicta coercendus.

III. (37, quæst. 4, *Sicut antiquitus Omnibus episcopis.*) Sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, statuimus ut major ecclesia per circuitum quadraginta passus habeat. Capellæ vero vel minores ecclesiæ triginta. Qui autem confinia eorum confringere tentaverit, aut personam hominis aut bona ejus inde subtraxerit, nisi publicus latro erit, quousque emendet, et nisi quod rapuerit reddat, excommunicetur.

De baptismo, tit. XVI.

I. (*De consec.*, dist. 4, *A quodam Ad consulta Bulgarorum*, cap. 104.) A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid inde sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi sicut in Actibus apostolorum legitur baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus Ambrosius exponit), (a) quia non illorum, sed ejus est, rebaptizari non debent (b).

II. (*Ibid.*, *Catechismi.*) Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscujusque ecclesiæ possunt fieri, sicut in hac sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore ministerium exhibemus nostri famulatus, solemniter fieri comprobantur.

De pœnitentia, tit. XVII.

I. (12, quæst. 2, *De viro. Frotario archiepiscopo Burdigalensi.*) De viro nefando, Burgando nomine, qui, rabie insana commotus, diabolicis se irretire laqueis non dubitavit, atque gentilium more per abrupta itinera et compita insidians, vobis in vestræ ecclesiæ villa una cum clericis vestris manentibus, et populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus, paneque spiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ salutis desiderium habentibus sancta apostolorum Petri et Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, et iniquitatis complicibus, nefarias invasiones et deprædationes violentas inferre, dæmoniaco ausu præsumperit, et ut epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrum altare sacraque Domini corporis et sanguinis vasa, insuper et sanctum chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia et ad

(a) Deest aliquid. Vide cap. 104 Respons. ad Consult. Bulgar., seu epist. 97.

(b) Ob hunc canonem Magdeburgenses Nicolaum I erroris redarguunt, sed valde imperite; cum ille docuerit in nomine Christi baptizare posse eadem ratione qua apostoli Act. II, VII, X, XI et XIX de falso

A communem usum apta, præsumperit, dilectio nos vestra consulit, si ipse vel qui cum eo in tam impio et iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque, gratia tacti divina, venire voluerint, quos eos pœnitentiæ vinculo constringatis, institutionis nostræ censuram exposcere curastis. De quibus tamen si ita est, jubemus, cum ad pœnitentiam quandoque reverti acceleraverint, uno anno extra ecclesiam Dei consistere, cujus sacratissima vasa extra ritum fidei Christianæ deripiendo auferre non dubitaverunt. Secundo vero anno ante fores ecclesiæ sine communionem maneat. Tertio vero anno ecclesiam Dei ingrediantur, et inter audientes astent sine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ dies. Quarto præterea anno, si his prioribus tribus annis eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituantur, totaque mentis intentione spondentes talia se ulterius nunquam facturos, corpus et sanguinem Domini suscipere mereantur, et usque ad septimum annum tribus in hebdomada diebus sine esu carniæ et vini potatione maneat pœnitentes.

II. (26, quæst. 7. *De his.*) De his vero qui pro criminibus pœnitentiam egerunt, et ad cingulum militiæ convertuntur, constat eos contra sacras regulas agere; verum quia crimina non æqualia sunt, perhibes quoque alios horum propter nimiam hebetudinem in desperationem cecidisse, alios ob hoc ad paganos fugisse: tibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca et tempora regionis illius, et modum culpæ, nec non et pœnitentiam et gemitus hominum ad confessionem venientium præsens positus inspicere vales.

III. (33, q. 2, *Interfectores. Rodulfo Bituricensi archiepisc.*) Interfectores suarum conjugum sine judicio, cum non addis, adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud habendi sunt quam homicidæ, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? Quibus penitus conjugium denegatur, exceptis adolescentulis, de quibus est beati Leonis papæ vigesima quinta regula decretalium, imo indulgentia, observanda.

IV. (*Ibid.*, c. 2. *Latorem. Rataldo episcopo sanctæ ecclesiæ Argentoratensis.*) Latorem præsentium matricidam esse cognovimus, cui præcipimus ut sub pœnitentiæ jugo permaneat, ita ut per annum integrum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans, et orans et deprecans Deum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo introeundi in ecclesiam licentiam habeat, tantum inter audientes stet, sed nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis, sacre communionis ei gratia concedatur. Oblationes baptizarunt. Ita Suarez, tomo III de Sacramentis, disputatione 21, sectione 3. Bellarminus lib. IV de Romanis Pontificibus, cap. 42, Nicolaum falsæ et erroneæ sententiæ non aliter quam privatum doctorem adhæsisse ait. Quam sententiam omnes communiter doctores amplectuntur. Sev. Bix.

vero non offerat, nisi prius aliorum septem annorum A
curricula expleantur. His autem omnibus annis
atque temporibus carnem non manducet, nec vinum
bibere præsumat, exceptis festiuis diebus atque Do-
minicis, et a Pascha usque ad Pentecosten. Et quo-
cunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed
pedibus proficiscatur, arma non sumat nisi contra
paganos. Jejuset autem tribus diebus per hebdoma-
dam usque ad vesperam; a propria et legitima con-
juge non separetur, ne in fornicationis voraginem
corruat, quod ne fiat optamus. Si autem ante anno-
rum trium cursum finis vitæ illius appropinquaverit,
corporis et sanguinis Domini nostri particeps fiat,
Sin autem, ut supra statuimus efficiatur. Tamen si
illius conversionem et lacrymarum fontem in omni-
bus videritis floridis actionibus et optimis operi-
bus pullulare, humanius circa eum sollicitudo per-
vigil appareat, mitisque in omnibus demonstre-
tur.

V. (Ibid., cap. seq. *Ad consulta Bulgarorum. Conc. WORMAT.*, cap 33.) Si quis cum duabus sororibus fuerit fornicatus, aut cum his personis de quibus sancta Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, et castitatis non valuerit continentiam sustinere, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere, Similiter et mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos. Sed hoc de lacis viris ac mulieribus solummodo statuimus.

De matrimonio, tit. XVIII.

I. (27, q. 2, *Sufficiat.*) Sufficiat solus secundum C
leges consensus eorum, de quorum quarumque con-
sensu et conjunctionibus agitur. Qui solus si de-
fuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frus-
trantur.

II. Ibid., cap. *Scriptis. carolo regi Francorum.*) Scripsit nobis Theutberga regina se regia dignitate vel maritali copula velle exui, et sola vita privata esse contentam desiderare. Cui nos scripsimus non aliter hoc fieri posse nisi eandem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. Nam licet sit scriptum: *Quod Deus conjunxit homo non separet* (Matth. xv), Deus autem, et non homo, separat, quando divini amoris intuitu, ex consensu utriusque conjugis, matrimonia dissolvuntur. Aliter autem fieri mutuam separationem vestram prohibemus.

III. (40, q. 2, c. 1.) Ubi non est consensus utriusque, ibi non est conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, et e converso, nihil faciunt, nisi uterque puerorum, postquam venerit ad annos discretionis, consentiat.

IV. (30, q. 5, *Nostrates. Ad consulta Bulgar.*) Nostrates, tam mares quam feminæ, non ligaturam auream vel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt; sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissio, fœdera quoque consensu eorum qui hæc contrahunt, et horum quorum in

potestate sunt, celebrant. Et postquam arrhis spon-
sam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum
desponderit, dotemque utrique placitam sponsus
ejus, scripto pactum hoc continente, coram invitatis
ab utraque parte tradiderit, aut mox, aut apto tem-
pore, ne videlicet ante tempus lege diffinitum tale
quid facere præsumant, ambo ad nuptialia fœdera
perducuntur. Et primum in ecclesiam Domini cum
oblationibus, quas offerere debent Deo, per sacerdotis
manum statuuntur, sicque demum benedictionem
et velamen cœlestis suscipiunt.

V. (31, q. 2, *Lotharius. Rhodoaldo Portuensi, et Joanni Ficolens episcopis.*) Lotharius rex in commo-
nitorio profitetur Waldradam se a patre præmissis
dotibus accepisse, et sororem postmodum admisisse
Hucberti. Ubi primum diligenti investigatione in-
quirete. Et si eundem gloriosum regem prædic-
tum Waldradam præmissis dotibus coram festi-
bus, secundum legem et ritum quo nuptiæ celebrari
solent, per omnia inveneritis accepisse, et publica
manifestatione eadem Waldrada in matrimonium
ipsius admissa est, restat ut perscrutemini cur illa
repudiata sit, vel filii Bosonis admissa. Sed quia
idem gloriosus rex metu Theutbergam admisisse se
dicit, metu unius hominis tantus rex non debuit con-
tra divinum præceptum in immane præcipitium mer-
gi. In hoc certo se magis reprehensibilem ostendit,
in quo amorem Dei amori mundi postposuit, cum nec
etiam occisores corporis sint timendi, contra justi-
tiam hominem impellente. Nihil itaque vobis aliud
præcipimus, manifestatione sua eodem rege convicto,
nisi ut secundum canonicam auctoritatem, nostra
vice freti, causam illius diffinitatis, etc.

VI. (32, q. 1, *Quidquid. Ad consulta Bulgar.*) Quid-
quid mulier contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si
te accusaverit, non est, excepta causa fornicationis,
rejicienda, vel odio prorsus habenda.

VII. (52, q. 8, *Hi qui. Carolo Moguntinensi archie- piscopo.*) Hi qui matrimonium sani contraxerunt, et uni ex duobus dementia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem et causam conjugia talium solvi non possunt. Similiter sciendum est de his qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut a barbaris exsecti fuerint.

VIII. (33, q. 2, *Inter hæc. Alvino archiepiscopo Ju- nuensi.*) Inter hæc sanctitas vestra addere studuit ut si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito illius liceat secundum mundanam legem eam interficere: sed sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus. Gladium non habet nisi spiritualem, qui non occidit, sed vivificat.

IX. (33, q. 5, *Nec uxorem. Ad consulta Bulgarorum.*) Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse ullo modo arbitror.

De impedimentis matrimonii, tit. XIX.

I. (30, q. 1, *Nosse. Salonitano episcopo.*) Nosse

dasideras utrum mulier quæ viri filium ex alia femina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideo conjungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu, nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum, vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem, maxime cum Apostolus præcipiat: *Nolite, inquiens, fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* (1 Cor. VII.)

II. (Ibid. *De his Rodulfo Bituricensi archiepisc.*) De his qui filios suos ad confirmationem coram episcopis tenent, id est qui filios uxoris suæ de priori viro dum chrismantur ab episcopis, super se sustinent, si in scientia (sicut asseris) fiat, licet sit peccatum, non tamen usque ad separationem conjugii puniendum est. Lugeant tamen, et digna pœnitentia hoc diluentes Domino dicant: *Delicta ignorantia meæ ne memineris* (Psal. xxxiv.)

III. (30, q. 5. *Ad consulta Bulgarorum.*) Ita diligere debet homo eum qui suscepit ipsum de sacro fonte, sicut patrem. Item: Est inter fratres et filios spirituales gratuita et sancta communio quæ dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos arbitror non posse fieri quodlibet legale conjugium) Quandoquidem nec inter eos qui natura et eos qui adoptione filii sunt venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt. Item: Si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare illos quos per cœleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus jungit? (c. 2. *ad consulta Bulgar.*) Longe ergo congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is quem divina gratia potius quam humana voluntas ut filius patris mei vel frater meus esset, elegit, prudentiusque ab alterna corporis commistione discernitur.

IV. (30, q. 4, c. 1. *Salomoni Constantiensi episc.*) Sciscitatur a nobis sanctitas vestra si aliquis homo duas commatres habere valeat unam post alteram. In quo meminisse debet scriptum esse: *Erunt duo in carne una* (Gen. II). Itaque cum constet quia vir et mulier una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum verum compatrem constitui illi mulieri, cujus matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur.

V. (33, q. 2, *Si quis.*) Si quis cum matre fornicatus fuerit spirituali, anathematis, ut scitis, percutitur ictibus. Similiter et illum percutere promulga-

(a) Hæc non videntur hujus ætatis.

mus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus, legitimanf tamen, si habuerit, non dimittat uxorem.

VI. (35, quæst. 2, *De consanguinit. Suffraganeis Ecclesiæ Amalsitanæ.*) De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit. Laicus vero uxorem simul et concubinam habens non communicet Ecclesiæ.

De bellis, tit. XX.

I. (2, q. 4, *Monachiam. Ex ejus decretis.*) Monachiam in lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus, eum hæc et hujusmodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur.

II. (15, q. 6, c. 2, § *Quin etiam. Episcopis Galliarum.*) Quin etiam præfato fratri nostro, filiisque Trevirensis Ecclesiæ, illiusque defensoribus, hæc in mandatis damus ut spirituali simul et materiali gladio tandem malignos illos eorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones vel quæcunque res ecclesiasticæ hoc facto vel quocunque pacto distractæ seu direptæ sunt, revocentur.

III. (23, quæsi. 5, *Omnium. Exercitui Francorum.*) Omnium vestrum nosse volumus charitatem, quoniam quisquis, quod non optantes dicimus, in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœlestia minime negabuntur.

IV. (23, quæst. 8, *Si Nulla. Ad consulta Bulgarorum.*) Si nulla urget necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed etiam omni tempore est a præliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget importunitas, nec quadragesimali tempore pro defensione tam sua quam patriæ seu legum paternarum est bellorum præparationi procul dubio parcendum: ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet quod faciat, et suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, et sanctæ religionis detrimenta non præcavet.

V. (24, quæst. 3, *Illi qui. Omnibus episcopis.*) Illi qui peregrinos vel oratores cujuscunque sancti, sive clericos, sive monachos, vel feminas, aut inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, nisi digne emendaverint. Pax vero illa, quam (a) treguam Dei dicimus, fideliter observetur, sicut ab archiepiscopis et episcopis unuscujusque provinciæ constitua est. Qui autem eam infregerit excommunicationi subdatur.